

A alios, qui alia ex causa sunt extenuati, ipse deinceps nominat in uerbis illis, quorū initium est. Et in febribus paruis. Commune autem in omnibus, qui lacte indigent, q̄ cibus bonū generans succum, & qui cito per uenas distribuatur, illis est necessarius. Necq̄ mirandum est, si lac dicitur bonum succum generare, etiam si aliquid habeat flatuosum. Nam in uniuersum, bonum succum generare dicitur, quæcunq; post coctionem ad bonum humorem transmutantur, hoc est ad sanguinem. hic enim humor est nobis amicus. Cur autem, cum dixisset, Conuenit autem tabidis, adiecit, Non, ualde multum febricitantibus, mihi uidetur dignum īuestigatione non patua, nam sufficiebat etiam sine ualde dicere. Nunquid igitur & multum febricitantibus lac exhibet: solis autem ijs, qui ualde multum febricitant, haudquaquam exhibet: an ab aliquo adiectum fuit uerbum, ualde, sicut & pleraq; alia? Hæc itaq; quispam per oculum inquirat. Sciat autem hoc nunc à nobis discens, multum febricitantibus lac dandum non esse. Miror autem, quo modo in illis, in quibus lac dari iubet, ascripsit. Si nullum ex supradictis signis affuerit, cum sit à doctrina Aphoristica alienum. id enim erat ex ijs, quæ prius dixerat, cognitum, etiam hoc non adiecto, q; dandum est tabidis, & præter rationem extenuatis lac, nisi caput doleat, aut hypochondria intumuerint, aut biliosæ sint deiectiones, aut tale aliquid aliud ipsiis adsit. An non simpliciter, necq; semper seruare breuitatem uidetur Hippocrates, sed, in quibus magnum aliquod periculum imminet, si negligenterius, quod ab ipso docetur, accipiatur, in his bis terue repeteret eadem non ueretur?

65 Quibus tumores in ulceribus apparent, non conuelluntur ualde, neq; insaniunt: uerum his euangelicis, derepente quibusdam à tergo conuulsiones & distensiones fiunt: quibusdam ante insania, uel dolor lateris acutus, uel suppuration, uel difficultas intestinorum, si tumores sint rubicundi.

Omnis præter naturam tumores Hippocrates œdemata, idest inflationes, nominat, sub quibus uidelicet etiam inflammationes continentur. saneq; hoc ipsum nomen inflammationis anti qui omnes magis inflamminib; etiam si sine ullo sunt tumore, adaptabant. Quod igitur dicitur, tale est: Quibus tumores ulceribus adueniunt, non admodum conuelluntur, neq; insaniunt. Hoc autem indicio est, q; non nulli quidem in ipsis conuelluntur & insaniunt, sed raro hoc patiuntur, quando uidelicet magnitudinem effatu dignam uel malignitatem aliquam assumpserint. Si uero tumores derepente euangelicant, conuulsiones ac distensiones, quando in partibus posterioribus, hoc est in dorso, ulcera fuerint. Quæ uero deinceps dicuntur, si in partibus anterioribus fuerint, consequi dicit. Posteriora siquidem neruosa sunt, anteriora autem uenosa atque arteriosa.

C Quando igitur ab ulceratis partibus humor, qui fecit tumorem, ad aliquam partem principalem se contulit: in partibus quidem neruosis posterioribus conuulsiones fiunt ac distensiones: (nam hæ sunt nerorum passiones) in anterioribus uero insania, si feratur ad caput: lateris autē dolor, si ad thoracem humor cōuertatur. Sæpius uero & his suppurantur, si humor non dissolutus fuerit. Difficultatem uero intestinorum fore inquit, si tumores rubri fuerint & repente discedant: illam dico intestinorum difficultatem, quam sanguineam nominant, quæ est sanguinis evacuatio per intestinum absque exulceratione. Quod igitur, si uel in dorso, uel in partibus anterioribus illi oppositis contigerit aliquando tumores derepente euangelicere, in tales ægri incidunt passiones, nos uidimus: non tamē ipse nobis Hippocrates manifestauit, an de his partibus solis loquatur, an simili pliciter de omnibus, ita ut crura etiam & brachia hoc sermone comprehendantur. In tibia itaque non sunt in partibus anterioribus musculi in chordas ualidas desinentes. In coxa uero in partibus genu anterioribus maximam uidemus chordam, ob quam per compatiendi rationem rationabile est magis sequi conuulsionem, quam ob aliquem musculorum, qui sunt in partibus coxae posterioribus. Sunt enim omnes carnosæ. Quare uerum non uideretur id, quod uniuersaliter ab Hippocrate dicitur, quod ex partibus tantum posterioribus accident cōuulsiones. Videtur quidem magna ex parte id fieri, non in cruribus modo, sed etiam in brachijs, forte quoniam hæ partes omnes è directo sunt dorsalis medullæ. Nascuntur autem ab hac & membrorum extremitatum, & spinalium muscularum nerui.

66 Si in vulneribus fortibus & prauis tumor non appareat, ingens malum.

Potest & ultimo Aphorismi uerbo, malum, adiungi ingens: potest & priori parti coniungi. Fiet enim sermo talis: Vulneribus prauis existentibus, si tumor non appareat, ingens est malum, Vel talis: Vulneribus prauis existentibus, si tumor ingens non appareat, malum. Contingit autē & uerbum, ingens, communiter dici, ac si ita dixisset: Si vulneribus prauis existentibus, tumor ingens non appareat, ingens est malum. Melior uero ex tribus sermonibus meo quidem iudicio hic est: Si vulneribus prauis existentibus, tumor non appareat, malum est ingens. Dictum autem est & antea, quod tumor (Græce œdema) ab ipso generaliter dicitur de omnibus tumoribus præter naturam. Vulnera autem praua dici existimandum est, quæ sunt in capitibus aut finibus muscularorum, & maxime neruorum. Nam in capitibus muscularum, muscularis nerui inseruntur: ex finibus autem chordæ oriuntur. Sicuti igitur paulo prius damnabat omnes tumores derepente euangelentes, ita nunc illos, qui neq; omnino adueniunt vulneribus prauis. Nam & in his suspicandum, ne humores ad vulnera defluentes, ad partes principales transmeent. Hoc in illis præ-

GALENI IN APHORISMOS HIPP.

88

Sertim fieri vulneribus est existimandum, in quibus adest quidem dolor, & propter ipsum omnino aliquid influit, sed a medicis reprimitur uralde infrigidantibus aut astringentibus medicamentis: nam, si dolor absit, neque fluxio mouetur. Maxime autem dolores patiuntur partes neruosae, quae per medicinas calefacientes atque exiccantes curari desiderant.

67

Molles boni: crudi uero mali.

Hic sermo pars est antecedentis, docente Hippocrate omnes tumores, quicunque molles sunt, bonos esse: contrarios uero prauos. Proprie igitur molli opponitur durum atque renitens: Hippocrates uero crudum ipsum nominavit. Neque enim fieri potest, ut sit tumor renitens bene concorrente membra natura humores ad ipsum confluentes.

68

Dolenti partem capitis posteriorem, in fronte recta uena incisa prodest.

Non solum studet Hippocrates, ubi sit opus, euacuare, sed cum auersione. Auersio autem ad contraria fit, secundum longitudinem quidem supra & infra: secundum latitudinem uero hinc et inde, hoc est a dextris & a sinistris: secundum altitudinem uero ante & retro. In doloribus itaque partis capitis posterioris, cum auersione nunc euacuatio ex fronte fiet: sicuti anterioris ex occidente. Sic itaque diuturnae oculorum fluxiones saepius sanatae sunt, ex partibus secundum occiput sagittine missa, una cum cucurbitula usu.

69

Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput: sed & uiris parte corporis posteriore magis, quam in anteriore, ueluti femorum, cubiti. Sed & cutis rara: indicio autem est pilus.

Rigores omnes incipiunt quidem cum sensibili frigore: paratores autem non solum ad suscipiendam, sed etiam sentiendam frigiditatem, sunt dorsi partes: quare non absque ratione hinc rigores inchoant: & hi citius fiunt mulieribus, quoniam foemina est natura frigidior atque imbecillior. Recurrit autem hinc rigor incipiens, ad principium neruorum, scilicet caput, celerrime facta per spinalem medullam compassionem, quoniam & ipsa, natura frigida est, sicut & cerebrum, & propter substantiam mollitatem, ut cerebrum, alterationem facile suscipit. Ex partibus autem anterioribus rigores non inchoant, quoniam calidorem habent, quam partes posteriores, temperaturam. huiusque argumentum sumit ex cutis raritate: rursusque raritatis ex pilorum multitudine. Dicitur est autem a me de generatione pilorum sufficienter in commentariis de temperaturis.

70

A quartanis capti, non admodum a conuulsionibus capiuntur. Si uero prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.

Quae quidem fit ex euacuatione conuulsio, acutissima est & perniciossima: quae uero ex repletione partium neruosalium, qualis in morbo comitiali, neque acutissima, neque similiter periculo sa. Meminit autem Hippocrates nunc non de tali conuulsione, nam uerba, capti, & capiuntur, longitudinem temporis ostendunt. Hanc itaque conuulsionem quartana non solum prohibet fieri, uerum, si preferuerit, soluit. Fit autem ab humoribus lentis ac pituitosis, qui partibus neruosis inferti sunt. Cum uero horum humorum duplex sanatio sit, excretio scilicet, & coctio: ambas habet quartana, excretionem quidem ex rigore: (hæc enim sola agitatio sufficiens est crassum excernere humorem) coctionem uero, caloris febrilis ratione, qui rigorem consequitur.

71

Quibus cutes circumduuntur aride & siccae, sine sudore moriuntur: quibus uero laxae & rares, cum sudore moriuntur.

Morituri, qui quidem squallitas, duras & siccias habent cutes & extentas: sine sudore moriuntur: qui autem contratio modo, laxas uidelicet & molles, & raras, cum sudore moriuntur, prioribus siquidem humiditas uel omnino deest, uel cuti: alijs uero & cuti inest.

72

Qui regio morbo laborant, non multum uentosi sunt.

Ventosos ab ipso nunc dici est existimandum illos, qui in uentre colligunt multitudinem uentis flatulosi, qui uel per ructus uel flatus excernitur, uel remanet, & extendit, quae ibi sunt. Fit autem hoc non nunquam quidem ob debilitatem, & imbecillitatem partium ad uentrem attinientium, non nunquam uero ex pituitoso & frigido humore. Hi itaque, qui propter pituitosum humorum uentosi sunt, contrarij sunt laborantibus regio morbo, qui ex bile accidit. Quare hi nunquam ob humoris exuperantis naturam uentosi fiunt. Contingit autem ipsos ob partium imbecillitatem fieri aliquando uentosos. Quare sermoni adiecit, non admodum, perpetuitatem quidem negationi adimens, ostendens autem maiori ex parte, quod prius dixerat, fieri. Neque enim admodum inuenire contingit regio morbo laborantes, habere partium ad uentrem attinentium imbecillitatem.

Galenii

A GALENI IN APHORISMOS HIPPOCRATIS
COMMENTARIUS SEXTVS.



N longis leuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, signum bonum.

Læuitas intestinorum (Græce lsenteria) est uelox exitus eorum, quæ comeduntur atque bibuntur: quæ talia deiciuntur, qualia fuere deuorata. Si quis uero uellet breuiorem afferre definitionem diceret esse priuationem coctionis, cum neq; quo ad cōsistentiam, neq; quo ad colorem, uel odorem, ullamū omnino qualitatē, in uentriculo facta fuerit mutatio ciborum. Tale autem nomen hæc passio sortita est, existimantibus illis, qui prius talem ei indiderunt appellationem, fieri ipsam propter intrinsecæ superficiei intestinorum læuitatem, ob quam cibos, qui continentur in eis, non amplius apprehendunt, ut, cum suam seruabant sibi à natura inditam asperitatē, retinebant. In pluribus itaq; alijs, qui primi nomina rebus impo-suere, quamuis sint collaudandi: non tamen eos in læuitate intestinorum accepto, cum ignorauerint, q; ipsius uentriculi proprium est cibos amplecti, ac se circunstringendo, certo tempore detinere, & rursus ad inferiora dimittere. Et, sicut in uesica fit urinæ stillicidium, non expectante, ut il la colligatur, sed statim tanquam mordentem aut agrauantem expellente: sic & in uentriculo ueloces exitus. hi enim sunt communes omnium excretionum causæ: quas si illi sciuerint, qui pri mi hanc passionem, læuitatem intestinorum nominarunt, talem de ea opinionem abieciissent, & vice eius, totius uentriculi atq; intestinorum imbecillitatem in causa posuissent, ob quam hæ par tes corporis grauatae à cibis assumptis, ipsos confestim excernunt. Fieri uero potest etiā aliquando, ut à quorundam humorum mordacitate in superficie exulceratis fiat hæc passio, etsi ipsa uis non multum patiatur: nam & tunc erit necessarium, ut permeantibus cibis, partes exulceratae do lorem sentiat, atq; ideo deorsum illos propellant, & à seipso quām citissime emittant: quo in omnibus partibus facto, uelocitas exitus subsequetur, & nullum fiet initium coctionis. uerum tali intestinorum læuitati cuiusdam morsus inerit sensus. In illa uero, quæ accidit propter uentriculi atq; intestinorum imbecillitatem, absq; ullo doloris sensu fient defectiones. Adeo autem & hæc haud parua utriq; differentia. Quæ enim fit ex humorum acritudine in uentriculi atque intestinorum abrasa superficie, cessante humorū prauitate statim sanatur cibis ac potibus, qui uim adstringendi habent. Quod si longiori tempore perseveret, in alteram passionem, quæ dysenteria, id est difficultas intestinorū nominatur, transmutatur. Quæ autē potentiae retentiæ sequitur imbecillitatem, omnino quidem fit ex intemperatura, sed uel ipsorum corporum, quæ iam habitum quendam non facilem solui contraxerunt, est dispositio, uel propter humorē aliquem, qui in uentriculo atque intestinis continetur, evenit: ex quibus humoribus unus est pituita. Vnde & acidos ructus, qui tali passione laborant, habent, quos Græci oxyregmias nominant, qui & sine aliqua pituita quandoq; in uentriculo frigidore fiunt: & in quibusdam læuitatibus intestinorum, quæ ex frigiditate ortum habent. unā fiunt, sed progressu temporis cessant. Nam ab initio paruo quodam tempore cibi in uentriculo retinentur, procedente autem atque aucta passione, neque hoc tempore retinentur. In quibus igitur paruo remanent tempore, fit quoddam ueluti initium coctionis, & propter hoc non sortitur effectum. Nos uero didicimus frustrationes coctionis ex frigiditate prouenientes, ructus acidos facere. In quibus autem cibi nullum habent coctionis initium: neque ulla ab initio fit in qualitate mutatio: quare neque ructus acidi, nisi pituita, ac præser-tim acida, in uentriculo abundet. Propterea Hippocrates non simpliciter dixit bonum esse signum acidos ructus in læuitatibus intestinorum, sed primum quidem, in longis, adiecit, quasi cum incipientibus, ut dictum est, sæpius unā eveniant: deinde, ubi prius non fuerint, inquit, Qæcumque enim à pituita uentriculum refrigerante fiunt læuitates intestinorum, semper cum ipsis sunt acidi ructus, ut casus quidam. Illis igitur, quæ neque incipiunt, neque ex pituita fiunt, non insunt acidi ructus. quod si aliquando fiant, significat tantum iam tempus cibum in uentriculo retineri, quod principium mutationis accipiunt, & naturam suorum operum reminisci. Hactenus mihi videor expositoris officium satis impleuisse. Si quis autem eorum, quæ dicta sunt, uult capita omnia scientifice comprehendere: in tractatu, qui De potentijs naturalibus inscriptus est, non paucas habet de uentriculi uiribus demonstrationes: in causis autem accidentium, de omnibus, quæ uelociter excernuntur. Quoniam uero Erasistratus in secundo De uentriculo mentitus est de medicis se ætate superioribus, turbauitq; & confudit intestinorum læuitatis notionem: melius mihi uisum est hæc etiam superaddere, ac primum ipsius Erasistrati uerba subscribere, quæ ita se habent: De ea, quæ læuitas intestinorum nominatur, dicendum: quam priores medici in tres par tes diuiserunt, in difficultatem intestinorum, in læuitatem intestinorum, & tenesmon, id est tensionem: quidam tamen in ijs, quæ excernuntur, differentias considerantes passionis, atque dientes, Quando sanguinolenta atque mucosa exeunt, quæ à uentriculo fuere concocta, tunc difficultatem intestinorum nominabant: si uero exeuntia cruda, mista autem sanguinolentis atque mucosis, læuitatem intestinorum uocabant: cum uero biliosa mista cum sanguinolentis atque Extra ord.
h 3 mucosis

mucosis excernuntur, tentionem, passionem appellabant. Hæc igitur Erasistratus inquit, nescio G qua ductus opinione, adiçiens crudis excrementis mucosa ac sanguinolenta. Hoc enim nullus apposuit, neque eorum, qui eius ætate claruerunt medici, uelut Philotimus, Herophilus, & Eudemus, neque eorum, qui post ipsum fuerunt usque ad iuniores istos Archigenis sectatores, neque, quos ipse citat, priores medici, hoc est ipso Erasistrato seniores. Diocles siquidem in libro De curatione & causa passionis, scribit in hunc modum: Tertia fit magna ex parte ex difficultate intestinorum. uocatur autem læuitas intestinorum, ad quam sequitur deiectioni humida ac spuma- fa, & cruda, & multa, & cito post cibum assumptum, ac potum. Praxagoras autem in secundo De assidentibus, inquit: Intestinorum læuitate laborantibus, quoniam lubricum est intestinum, ieju- num præsertim, necesse est cito ciborum fieri deiectiones. Post hæc deinceps, quod necessarium sit cito exēuntia, esse omnino cruda, Praxagoras scribit, maximam quidem passionis proprieta- tem in cito ponens deiectione: quod uero cibi omnino incocti permaneant, hoc unum facies ex ijs, quæ necessario consequuntur. Neque enim, quia omnino incocti permaneant cibi, ideo cito deieciuntur: sed, quia cito deieciuntur, idcirco nullā habent coctionē: atq; ideo nos, et alij complu- res medici, citam ciborū nullam habentium coctionē, deiectionē, dicimus esse læuitatem intesti- norum. Ad hunc modum & alij antiqui medici de ipsa sentire uidentur. Nam in libro De passio- F nibus Hippocratis, siue eius sit is liber, siue Polybi eius discipuli, hæc de læuitate intestinorum scri- pta inueniuntur: Cibi deieciuntur imputridi, humidii, absque dolore, corpus autem extenuatur. Li- quet uero fuisse morem antiquum uiris istis, uocare imputrida, quæ nos incocta nominamus. In libro autem De uictu salubri, qui & ipse Hippocrati ascribitur, (licet, qui adulterinum cœsent, non nulli ad Aristonem, non nulli ad Philistionem, quidam ad Pherecydem referant) scribuntur hæc uerba. Patiuntur non nulli talia. cibus eis deieciuntur humidus, incoctus, non propter morbus, ueluti læuitatem intestinorum, neque aliquem ipsis affert dolorem. Hi quidem omnes Erasistra- to seniores. Sed, ut diximus, mille alij, qui omnes Erasistrati ætate & postea uiguerunt, in eandem sententiam De intestinorum læuitate scripserunt. Quare nescio, qua causa ductus de priscis ho- minibus mentiatur, illos inquiens arbitrari in læuitatibus intestinorum sanguinolenta atque mu- cosa cibis incoctis commisceri.

2 *Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitatem fruantur: quibus uero contraria, salubris degunt.*

In siccioribus secundum naturam temperaturis nulla omnino superfluitas manifesta neque sensibilis per nares effluit ex cerebro, sicuti neque per cutem sudor: sed illa, quæ à medicis diffla- G tio occulta nominatur, superflua extenuata in modum vaporis euacuat. Humidioribus uero naturis sensibiles fiunt superfluitates & præsertim cerebri, quoniam est natura frigidius. eisdemq; geniturā, hoc est semen ipsum, ait esse humidorem: sicut in siccioribus aquosa humiditate con- sumpta, crassus ac siccus est semen. Eos igitur, qui sunt humidiores, siue cerebro tantum, siue cor- pori uniuerso, non contingit salubrem uitam omnis expertem noxæ traducere, uerum continuo destillationibus ex parua occasione capiuntur. & si superfluitas eis ad inferiora per palatum de- scendat, partes subiectæ offenduntur, fauces, guttus, aspera arteria, pulmo, gula, uentriculus. Tu- fuses itaque in ipsis fieri, & difficiles anhelitus, & anginas, cruditatesq; & uentris profluvia est ne- cessarium, non nunquam uero & difficultates intestinorum, quando, quod destillat, falsius quo- dam modo fuerit. Dixit autem & ipse de his in libro De aquis, aere, & locis, sicuti & in libris De morbis ac passionibus.

3 *In longis difficultatibus intestinorum, cibi fastidia, malum, & cum fibre peius.*

Difficultates intestinorum fiunt quidem ex humoribus acribus. sunt autem intestinorum ex- ulcerationes primum quidem in superficie abrasorum, progressu autem temporis & profundio- ra habentium ulcera putrilagini ut plurimum obnoxia: quo maxime tempore etiam uentriculus H ipsis compatiens ad concoquendum ineptus redditur: qua offensione magis ac magis ad supe- riora perueniente, cum & os uentriculi afficitur, cibum fastidiant, hoc est nō appetunt. Sunt etiā, qui & ab initio nonnunquam cibum fastidianus propter ichoras fluentes ab hepate, à quibus dixi mus abradi intestina, præsertim cum hi amarè bilis naturam habuerint. Nā pars eorum superflui- tans, ad os uentriculi effertur. In longis uero difficultatibus intestinorum cum hic casus euenerit, mortificationem quandam ipsi iam aduenisse uentriculo compatiendi ratione significat, ex qua omnino interiit appetentia, opus ad uitam necessarium. Si uero una cum inappetentia febris ad- ueniat difficultati intestinorum, duorum alterum est, uel putredo aliqua circa ulcera, uel digna ef- fatu inflamatio: atq; ita, ut dictum est, toto iam cōpatiente uentriculo, ægri se habent exitialiter.

4 *Vlera circunglabra, maligna sunt.*

Quando uel pilos uideris defluentes à circūiacentibus ulceri locis, uel cutē squamulas è sum- ma parte dimittere: scito ijs, qui ita se habent, prauos humores ad partem confluere, qui ulcus ero- dunt. Neq; enim, si radices quidem pilorum possunt corrumpere, loca ulcerata ad cicatrice per- uenire sinent.

Dolores,

A 5 Dolores, qui sunt in lateribus & pectoribus atq; alijs partibus, an multum differant, perdiscendum.

Perdiscere oportet non modo locum dolentem, qualis' nam sit, sed & magnitudinem doloris in eo, quanta sit. Hoc autem confert & ad loci patientis dignotionem, & ad præcognitionem eorum, quæ circa ægrum futura sunt, & præterea ad curationis inuentionem. Si ergo in latere magnus fuerit dolor, primum hic esse non potest, quin patiatur membrana, quæ subcingens nominatur: secundo autem non est absque periculo: deinde & maiori indiget curatione: si quidem ad clauiculam dolor pertingat, uenæ sectione: si uero ad hypochondrium, purgatione: quemadmodum ipsum ipse in libro De uictu acutorum edocuit. Sin autem mediocris fuerit dolor, & præterea non pungat, ut qui in membrana subcīngente est, neq; ad clauiculam aut hypochondrium pertingat: contingit ipsum carnosis costarū partibus patientibus fieri, atq; ideo neq; esse periculosum, neq; magno auxilio indigere. Sic et in singulis alijs partibus doloris magnitudo est cōsideranda: uelut si renū pars carnoſa patiatur inflammationem, dolor est grauis quemadmodum ipse inquit in Epidemijſ, ita illum nominans, qui ueluti cuiusdam ponderis, loco incumbentis, inuehit sensum. Alijs uero partibus, quæ sunt in rene, patientibus: dolor sentitur acutus. Dico autem alias partes tunīcam hunc obtegentem, & uentreū eius interiore, & eas, quæ ad hunc terminantur, arteriæ

B as ac uenas: ac præterea exortus meatuum urinariorū. Sic præterea se habet rēs etiam in hepate. Nam eius parte carnoſa inflammationem patiente, grauis fit dolor: tunica uero circumducta, uel ualis, acutus & ipsius doloris acutī quantitas maior aut minor, causæ facientis affert indicium. humor siquidem biliſus & acris dolorem auget, sicut & sp̄iritus flatuosus non habens exitum: exoluit autem pituitosus. Non solum autem magnitudo qualitatis aliquod nobis dat doloris indicium, sed etiam quantitatis. Augetur enim cuiuslibet causæ efficients opus, eius aucta substantia. Si igitur uniuscuiusque doloris uolens à nobis magnitudinem considerari. hunc Aphorismum scripsit Hippocrates: sufficienter ipsius usum expoſuimus. Si uero non solum, quo ad magnitudinē, dolorum differentiam dicit fore considerandam, sed generalius adhuc quiddam, ac ueluti uniuersalius ostendit, consulens nobis omnes effatu dignas dolorum differentias inspicere: maiorem adhuc ex eo fructū utilitatis percipiemus. Fietq; huiuscmodi sermo: Non simpliciter partium dolorem considerare oportet: neque arbitrandum eandem esse in omnibus dispositionem: ueluti si prius quidem Dion, postea uero Theon costam doluerit: nō eodem modo utrumq; se habere existimandum, sed discere oportet, nūquid multum inuicem in dolore differant, an quodam modo similes existant. Fit autem hoc ex duobus perspicuum, & ex doloris specie, & ex uehemētia. Ex specie, si pungenti similis uel tendenti, uel torpore inducenti, uel grauanti, uel stimulanti, uel erōdenti, uel ferienti, uel continuus, uel cū intermissione, uel æqualis, uel inæqualis. Ex uehemētia, quis sit maior aut minor, aduertendum: quæ paulo antea, quo ad magnitudinem, differentia in doloribus dicebatur. Consueuere siquidem medici uerbo abutentes, omne uehemētius, maius nominare, quamvis non ad quantitatem, sed ad qualitatem id pertineat. febrem enim, que suam habet in caliditate substantiam, magnam uel paruam uel mediocrem omnes nominare non desinunt. Quare non est mirandum, si & dolorem uehemētorem, maiorē appellant. Immo uero non est admiratione dignum, si, quæ specie inuicem distant, magnū aiunt habere discriminem: ueluti dolorem, qui ponderis cuiusdam similitudinem gerit, ab eo, qui uidetur ferire, uel aliquod aliud pati ex ijs, quæ antea diximus.

6 Renū & ueſicæ uitia in senioribus difficulter sanantur.

In senibus uix (inquit) sanantur, hoc est multo negocio ac longo tempore, quæ in renibus ac ueſicæ sunt uitia, quoniam earum opus indesinens est, quiete autem opus est, siquid sanari debeat: & quia per ipsas euacuatur superfluitas acris, apta irritare, siue ulcus, siue inflammatione, siue aliqua alia passio in ipsis constiterit. Multo autem difficilius sanantur in senilibus corporibus ueſicæ passiones, qm & omnes alijs morbi, præcipueq; longi. Tales enim & ipse superius dixit cōmori omnes.

7 Dolores & tumores uentris sublimes, leuiores: qui uero non sublimes, fortiores.

Sublimes nunc intelligendi sunt, non secundum longitudinem corporis, sed profunditatem. Interſtinguuntur autem hi in locis ad uentrem attinentibus, interiore abdominis membrana, peritoneo appellata, adeo ut, quicunque supra hanc fiunt, sublimes uocentur: qui uero infra, hoc est in ipsis intestinis atque uentriculo, non sublimes dicantur. Liquet autem, quod tales recte dicit esse fortiores.

8 Aqua inter cutem laborantibus, ulcera in corpore facta difficulter sanantur.

Docuit ipse in libro de ulceribus, non prius ad cicatricem perducit ulcera, quam sufficienter exiccentur: hoc autem non facile fieri in ijs, quos aqua inter cutem male habet, ob humiditatis immoderantiam.

9 Late pustulæ non admodum pruriunt.

Sicuti tubercula omnia duplē habēt differentiā, qm quædā tendunt in acumē, & altū petunt: quædā ad maiorē extenduntur locū, nō tamen in altū attollunt: sic & pustulæ nō nullæ sublimes,

GALENI IN APHORISMOS HIPP.

92

nō nullē latē fūt. Sublimiores autē pustulæ atq; tuberculæ à calidiore humore generātur, humiliō. E
res autē à frigidiore. Quare ob duplīcem causam latæ pustulæ non admodum pruriunt. Difflantur
enīm in latitudinem extenta, & facientem ipsas humorem minus acrem habent.

10 Caput dolenti, & circumdolenti, pus uel aqua uel sanguis effluens per nares aut os aut aures, morbum soluit.

Plura & alia sic ostensus est Hippocrates dicere: in quibus nīsi quis animum aduerterit, videbi
tur, quod ab ipso dicitur, solum ad curationē passionis proficere, aliud uero nihil. Verum ipse nō
hoc tantum dicit, sed simpliciter, quod pus uel aqua effluens per nares uel aures, morbum soluit.
Quod si utiq; conuertens dixisset, quemadmodum ego nunc, sermo foret irreprehensibilis: Quā-
do uel propter inflammationem, uel humorum crudorum multitudinem in capite aceruatorū fie
ri dolorem contigerit, tunc inflammatione suppurata, aut humore excreto, solutio fit morbi. Si ue
rō propter spiritum flatus sum, aut sanguinis multitudinē, aut bīlem mordacē, aut omnino ex in
temperatura, dolor acciderit, per alia sanabitur.

11 Melancholicis & renū uitio laborantibus hæmorrhoides superuenientes, bonum.

Non solū ratione euacuationis hæmorrhoides sanāt huiuscemodi passiones, sed & ipsa qualita
te humoris euacuati. Hæ etēm sanguinē crassum consueuerūt euacuare, humore plenū melācho- F
lico, talē habēte in sanguine cōsistētiā, qualis est in uinis fæx: quare nihil mīrū, si melancholiae &
renū passionibus conferūt hæmorrhoides, ut quæ humorē fæci similē euacuare natura aptæ sint.

12 A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si una non seruatur, periculum est aquam inter cutem uel tabem aduenire.

Hæmorrhoidas fieri impossibile absq; hoc, quod propter multitudinem & crassitatem sanguini
nis ora quarundam uenarū aperiantur, hepate ad ipsas reponente fæculentū sanguinem & melā-
cholicum. Siquis igitur ei hoc intercludat iter, simul duritiem in hepate facit, simul multitudine
grauans ac crassitatem, calorem, in ipso natuum extinguit, cum tale quid accidat, quale in flammis
exterioribus, in quibus multa ligna superingesta suffocant ignem atq; extinguent. Si igitur à na
tuo calore generatur sanguis, perspicuū est, quod ipso extincto non generabitur amplius. Aqua
uero inter cutem fit, cum sanguinis generatio frustratur. Quod si aliquando possit hepar propel
lere multitudinem ad uenas pulmonis, hīc uase aliquo rupto tabidi fiunt. Non frustra igitur con
sulit unam saltem seruare hæmorrhoidem, ut per hanc euacuetur fæculenta ac uitiosa materia he
patis, præsertim in quibus solita est tempore longo per tales uenas excerni.

13 A singulu habitu sternutatio superueniens liberat.

Auctor est ipse, sicuti conuulsionem, ita & singultum, uel ex inanitione, uel plenitudine fieri.
Quando igitur à plenitudine fit (maxima autem ex parte ita fit) violento opus est motu, ut ueli
ti concussæ ipsum efficientes humiditates difflentur atq; euacuentur. hoc autem facit sternutatio.
Eos uero, qui ex inanitione fiunt (qui sunt rariores) non sanat sternutatio. Quod uero ex pleni
tudine singultus iugiter fiat, indicant pueri crebro singultentes, cum sunt repleti. Algor autem et
frigiditas omnis, eo quod omnia neruosa corpora efficiunt ad difflandum difficultia, sunt causa, ut
hæc repleantur, atq; ideo in ipsis singultiunt.

14 Ab aqua inter cutem habito, si aqua ē uenis in uentrem defluxerit, soluitur morbus.

Vnum & hoc exemplum est earum, quæ sponte fiunt & utiliter, euacuationum: Spontaneum
autē dicimus, non, quod sine causa fit, sed quod nostra causa nō fit. Quando enim data à nobis me
dicina aquam trahente, talis fiat euacuatio: non amplius hanc spontaneam nominamus.

15 A longo alii profluvio habito, spontaneus uomitus superueniens, morbum soluit.

Et hoc pariter exemplum est eorum, quæ recte fiunt à natura, quod medicum imitari oportet. H
Utilitas uero prouenit retractionis ratione.

16 A morbo laterali uel pulmonia habito, alii profluuum adueniens, malum.

Cum partes aliquæ patiuntur, non simpliciter aliæ cōpati sunt natura aptæ, sed cum fortissi
ne detinentur. Secundum hoc igitur, & hepate fortiter paciente, singultus superuenit, compatiens
stomachο: tuſſis autem & difficilis anhelitus compatientibus ijs, quæ respirationi obseruiunt,
instrumentis. Sic & his ipsis pessime affectis hepar compatitur. & hoc ipsum manifeste ostendit
Hippocrates, cum non simpliciter dixerit, In morbo laterali uel pulmonia aluum turbatā esse ma
lum signum, sed adiecerit, habito, ac si dixisset detēto atq; uexato homini à talib, passionibus pro
fluuiū alii superueniēs, malum esse signum. quoniam ita se habentibus profluuium alii solet ad
venire, cum nō bene possit amplius hepar ad se trahere alimentum, neq; conuertere in sanguinē,
& quandoq; uētriculus alimentū corrūpat. In medio cri autem morbo laterali atq; pulmonia pro
fluuium alii superueniens potest interdum prodesse, ratione euacuationis, et magis cum signa co
ctionis apparuerint inesse passionibus, neq; adeſt timor, sed morbus est citra periculum. Commu
niter autem & in his & in omnibus alijs quæcunq; eodem modo dicuntur, illud meminisse oportet,
quod ob nullum aliud extemporaneum & manifestum, casus superuenerit, ueluti & nūc alii
profluuium

A profluuiū non ex cibo aut potu aliquo, sed morbi ratione contingat. Nam, si alia ex causa, & nō ui morbi fiat, non potest eius morem significare: si quidē oportet signum secundum aliquid ei, quod ab ipso ostenditur, connecti.

17 Lippientem aliui profluuiō corripi, bonum.

Non ut signum, hoc, lippientibus bcnū ab eo dictum est, sed ut causa, quia humorum abundantia simul euacuatur, atq; ad inferiora retrahit. Est autē & hoc apud ipsum exemplum unum eorum, quae sponte & utiliter euacuantur, quod medicum imitari oportet, & proculdubio sic etiam omnes faciunt, in lippitudinibus aluum & clysteribus & purgationibus subducentes.

18 Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut uentriculo, aut iecore, letale est.

Hoc uerbū letale, Hippocrates sāpe in alijs libris, & in hoc etiam protulit de ijs, qui ex necessitate sunt morituri, sāpe etiam de ijs, qui magna ex parte. Quare nunc quoq; manifestum non est, nunquid omnino securam mortem discissis his partibus uelit ostendere, an in quibusdam raro hominem seruari contingat: Quòd igitur cor uulneratum mortem afferat necessario, unum ex ijs est, quae in confessu habentur: non tamen in alijs æque recipit uulnus quodcunq; moitem afferre ineuitabilem, sed illud quod magnum est, atq; profundum, quod rationabile est a uerbo discissa, significari: ut tota uesicæ tunica diuisa usq; ad interius spaciū intelligatur: atq; in singulis alijs eodem modo. Siquidem in uesica confessum est tale uulnus non coalescere, sicut & in parte septi neruosa, & in tenuibus intestinis: in uentriculo autem dubitatur, nam quosdam in eo uulneratos dicunt aliquando, sed raro, fuisse sanatos. Hepatis autem non solum profundum uulnus in fibris eius factum, sed etiam fibram abscessam aiunt fuisse sanatam. Neḡ nos latet, quòd in libro De uulneribus exitialibus, quædam ex ijs eius libri auctor conatur sanare. Quòd uero partes ipsæ diuise agglutinari non possint, in corde quidem ac septo transuerso ex iugū eorum motu contingit: in uesica aut, quia neruosa est ac tendit & exanguis: nam eius collum uidemus quotidie sanari, cum lapis extrahitur, quoniam carnosum est. Hepar uero uulnera habet plurimo manantia sanguine: atq; idcirco prius moriuntur, qui ita sunt uulnerati, quam uulnera agglutinari possint: hoc autem ita dixi uolens intelligi etiam uenam esse dissecatam. Ob hoc ipsum igitur, qui uulnera in summa eius parte consistentia aiunt sanari, & fibras hepatis abstulisse, ueritati consentanea nequaquam dicere uidentur. Cerebrum autem uulneratum sāpe sanatum uidimus, semelq; in Smyrna Ioniæ, uiuente adhuc præceptore Pelope, è uulnere effatu digno. Hoc itaq; rarissimum est. Verum autem Cest, quòd magna uulnra, quae consueuit Hippocrates nominare dissectiones, afferunt mortem, tenturq; omnes uulnra cerebri, quae usq; ad aliquem eius uentriculum penetrant, afferre mortē. Tenuium autem intestinorum natura, & uentriculi magis, nō parū participant carnosæ substantiæ: & ideo in summa parte uulnerata sāpius agglutinantur: Tota autem discesssa usq; ad eorum cavitatem, rarissime. Hoc autem non tam propter eorum substantiam mihi uidetur accidere, quam quòd non possumus æque intrisecus, sicut extrisecus, medicamentū uulneribus imponere. Qua propter ijs, qui librum de uulneribus perniciosis conscripsit, siue Hippocrates fuerit, siue quiuīs alius, sanare uentriculum per potionē conatur.

19 Cum discessum fuerit os, aut chartilago, uel neruus, aut gen. & particula tenuis, uel preputium, neq; augetur, neq; coalescit.

Augeri uocat talem aliquam generari substantiam, qualis est abscessa, sicut in cauis ulceribus uidetur caro germinare: coalescere autem, quando discessi corporis labra agglutinantur. Quòd igitur neque chartilago, neque os generentur, est in confessu. An uero agglutinētur, non nulli dubitant. Inquiunt enim perspicue uideri ossa perfracta agglutinari. Sed aberrant, & doceri possunt in brutis, quorum pars aliqua fracta contraxit callum. Hæc enim seu uiua, seu mortua, si quis uelit inspicere dissecando, uidebit manifeste à callo, ueluti uinculo quodam circumducto, partes ossium discessas esse constrictas: quas si abraserint, fracturæ profundum uidebunt non agglutinatum. Sic igitur de ijs, quae dicta sunt, ambigunt, nonnulli augeri dicentes, non tamen coalescere: quidam uero etiam coalescere, sed raro. Augeri igitur illa desiderat, quae per exesum sunt ulcerata: & nullum uidi taliter affectum, cui non increuerit caro: Agglutinari autem illa, quae diuisa sunt, & non discessa, Hæc enim inuicem differunt, cum discessa diuisionem habeant usque ad finem peruenientem: quae nunc Hippocrates inquit non coalescere, non ob id tantum, quòd neruosa sunt atque tenuia, sed quoniam etiam, ex eo, quòd tales habent naturam, labra uulneris non sunt pa rum à se inuicem distantia.

20 Si in uentre sanguis preter naturam effunditur, necesse est suppurrari.

Quidam sine articulo, uentre scribunt, uolentes omnem significari cavitatem, quibus astipulatur, quod præter naturam adiicitur: per quam adiectionem tale quiddā ostendit Hippocrates: Si unq; sanguis à propria cavitate in aliam quancunq; cavitatē peruenierit: ut sanguis permaneat, est omnino impossibile. Sic igit & in inflammationibus, & illis, quas Græci ecchymoses nomināt, fieri uidetur. In inflammationibus quidē, per minimas partes disperso sanguine ad eas, quae iunt in musculis, cavitates, quas sola ratione contemplamur: in ecchymosisbus autem in spacia effuso, quæ

quæ uasis circumiacent. Suppurari autem non est recte dictum, cum nomen sit unius mutationis in sanguine factæ, quare non nulli ipsum ad generalius transferunt, hoc est ad corrupti, id ab ipso dicentes significari. Sic enim fieri uidemus, non permanere sanguinem, cum à suo loco exciderit, sed aliquando suppurari, aliquando nigrescere, aliquando in grumos uerti, præsertim quando in magnam cauitatem exciderit præter naturam.

21 In insanientibus si uarices uel haemorrhoides superuenient, insania solutio.

Hic insaniam illam, quæ proprie melancholia dicitur, uocat, non illum, qui fit ex bile, furorem, sunt autem uarices uenæ latiores in coxis & cruribus: quæ ex crasso & melancholico sanguine contingunt, adeo ut pellente natura ad partes ignobiliores eos, qui insaniam efficiunt, humores, præsertim cum melancholici fuerint ac crassi, dictarum passionum generatio sequatur, & insaniam solutio.

22 Quaecunq; rupta ex dorso ad cubitum descendunt, uenæ sectio soluit.

Melius quidam scribunt: Quicunq; dolores nam ruptum ipsum descendere, unum est impossibilium: siquidem diuulsa ac rupta musculi parte carnosâ fit ruptum. Videtur itaq; non nunquam manifeste admodum collectus in loco ruptionis sanguis: & discussione sanatur. Reliqui uero, qui sunt in dorso dolores, ex defluente humore generantur, interdum solo, sed magna ex parte crasso ac flatuoso spiritui associato: quem excipere oportet atq; euacuare per uenæ in cubito existentis sectionem, quando huc apparet fluens. Est enim eius præceptum, secundum quod humores repunt, facere euacuationes. Idemq; significant uerba hæc, Eò ducendum est, quod repunt, per loca opportuna. Si aut de ruptis sermo est scriptus ab eo: eos, qui fiunt compatiendi ratione, dolores intelligendum est dici ab ipso descendere ad cubitos, non ipsam carnosæ partis diuisionem. Nam fieri potest, ut & talibus uenæ sectio utilis sit, communî euacuationis ratione.

23 Si timor atq; mœstia longo tempore perseverent, melancholicum tale est.

Sí quis non ex causa manifesta metuat, aut mœstus sit, melancholici casus manifeste sunt, etiam si non diu præcesserint. Quod si propter causam manifestam incipientes, diu postea perseverent, non te lateant melancholiā significare. Nam & plures uisi sunt furore corripî, qui ab excandescencia, uel ira, uel mœstia principium habuit, ipso scilicet corpore tempore illo prompte se habentes ad incidentum in tales passiones.

24 Si quod intesinorum gracilium discindatur, non coalescit,

Hoc & in Aphorismo paulo antea dicto monstrauit, cuius initium, Vesica discissa, uel cerebro. Nescio igitur, quo pacto nunc frustra fuerit ascriptus. Idem autem uidimus et in pluribus alijs Aphorismis: quos melius fuerit eximere.

25 Erysipelas ab exterioribus uerti ad interiora, non est bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum.

Non solum erysipelas, sed aliud quodcumque, quod ex profundis & principalioribus partibus transfertur ad cutem, bonum esse signum ac causam debemus existimare: Contra uero, si ad interiora & profunda transmutetur, malum. Sed & alia multa uidetur dixisse Hippocrates, quædam ueluti exempla sermonum uniuersalium, à quibus eius, quod solet euenire, experientiam possumus habere manifestiorem. Talia etenim exempla oportet esse.

26 Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.

Vtrum Hippocrates tales sermones scripserit, ut exempla magis generalium, atque uniuersalium sermonum, an alij interposuerint, ceteris inquirendum relinquentes, illud tantum in ipsis observabimus, quod & antea dictum est, & nunc in febre ardente dicetur. Quæ enim hanc febrem H efficient causæ, in uenoso genere existentes: quando ad neruos transferuntur, primum tremores faciunt: compatiente uero principio, etiam deliria. Sicuti igitur in febre ardente translatio, sic & in omni alia febre potest fieri: & omnino ex arterijs & uenis ad neruos transfluxus humorum noxiorum, sicuti rursus ex neruis ad has. Improptue igitur dictum est febrem ardentem à delirio solui. Hæc enim solet Hippocrates dicere quibusdam superuenientia, eorum soluere consistentiam, quæcunq; prorsus hominem liberant, non quæ alteram generant passionem, quæ nihilominus, quam prima, sit periculosa.

27 Quicunq; suppurati, aut aqua inter cutem patientes uruntur, aut secantur: si pus aut aqua uniuersim effluxerit, omnes moriuntur.

Suppuratos præcipue consuevit nominare, qui pus habent in spacio inter thoracem atque pulmonem: quos quo modo urere oporteat, dixit in libro De passionibus, cuius initium, Pulmonis arteriæ. Quidam hunc librum inscribunt de suppuratis. Vistione igitur indigent, qui plurimum habent pus, adeo ut desperent per spuitiones posse expurgari. Hos uero ipsos & difficultas anhelitus uehementer infestat ex loci angustia: quæ etiā nos cogit, ut eos uramus. In ijs autem qui aqua inter cutem patiuntur, illæ, quæ à Græcis paracenteses, id est punctiones, nominant, magis, q; ustiones,